



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Historia Scholastica Magistri Petri comestoris sacre  
scripture seriem breuem nimis [et] obscuram elucidans**

**Petrus <Comestor>**

**Argentine, 1503**

**VD16 P 1829**

Exponit [ver]ba dauid de christo. ca. xv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30892**

Exponit verba dauid de christo  
Capitulum XV.

**I**sracelite quibus specialiter locuti sunt prophete, audite verba hec, intelligite iam completum est quod prophetauit ioel de spiritu sancti missione: quod missus est spiritus sanctus ab eo quem vos interemistis: qui alto consilio paterne dispensationis traditus est in manus vestras quem deus suscitavit solutus doloribus inferni, vel quantum ad ipsum quem dolores penarum inferni non leserunt, vel quantum ad alios qui per eum ab inferni doloribus absoluti sunt: quod palam est ex greco verbi dei. Soluens per ipsum dolores mortis. Quia autem a deo suscitatus sit probat per prophetiam dauid. Et ponit plures versus psalmi. Sed ad hoc probandum sufficit ille solus. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sunt enim verba christi ad patrem, quod, Non patiens o pater animam meam ad inferos descendentem sibi detineri: nec corpus meum sanctificatum corrumpi vel incinerari. Postea de dauid non esse hoc intelligendum ostendit: arguens iudeos de dauid perperam interpretantes dicens. Viri fratres liceat audenter dicere vobis de patris archa dauid: quoniam defunctus est, et sepultus est apud nos: et corpus eius incineratum: et adhuc cineres eius apud nos sunt. Unde patet non de se illud dixisse. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sed prophetauit de resurrectione christi: qui neque derelictus est in inferno: nec caro eius vidit corruptionem. Quem suscitavit deus cuius nos testes sumus qui ad dexteram patris sedens: misit in nos spiritum sanctum quem operatur in nobis quem videtis. Quia autem exaltatus sit ad dexteram dei patris: iterum probat auctoritate dauid prophete dicentis. Dixit dominus domino meo sede a dextris meis. Quod de dauid vel alio homine non potest intelligi. Certissime ergo scitote hunc iesum ita esse exaltatum et spiritum sanctum misisse quem vos crucifixistis.

De impleta prophetia Joel. Cap. XVI.

**I**s auditis com puncti sunt corde: et ita impleta est prophetia ioelis: quia post ignem spiritus sancti secutus est vapor conpunctionis. Et dixerunt ad petrum et ad reliquos apostolos. Quid faciemus viri fratres. Ad quos petrus. Penitentiam agite: et baptizet unusquisque vestrum

in nomine iesu christi: in remissione peccatorum: et accipietis donum spiritus sancti: ut loquamini variis linguis sicut et nos. Et hoc erat signum familiare in primitiva ecclesia: quia fere omnes ascendentes de lavacro loquebantur omnibus linguis. Et nota quod ait petrus. Baptizet unusquisque vestrum in nomine iesu christi. Formam namque traditam a domino qua exprimitur trinitas dei in primitiva ecclesia subtraxerunt apostoli veteres hac forma verborum. Baptizo te in nomine iesu christi: ut ita dilatarent nomen christi. Aliis verbis pluribus exhortatus est eos petrus. Et qui receperunt sermonem eius baptizati sunt. Et apposite sunt numero fidelium in die illa. scilicet ipsa die pentecostes anime circiter trina milia. Et erant perseverantes in doctrina apostolorum: et in comunione fractionis panis et eucharistie. quia in primitiva ecclesia crebro vnanimiter conveniebant ad precipuam eucharistiam. vel in comunione fractionis panis quotidiani: qui singulis quotidie ab apostolis frangebatur: nihil enim habebant pretium. Sed preda vendiderat: et posuerat precia ante pedes apostolorum: qui singulis diebus mane ascendebat in templum ad orationem. Sed postea redeuntes singulis distribuere panem prout cuiusque opus erat.

De paralytico curato a petro. Cap. XVII.

**U**n autem quidam

die ascenderent petrus et iohannes in templum ad horam orationis nonam. Erat quidam claudus a nativitate qui in glossa paralyticus dicitur, iuxta portam templi que dicitur speciosa a speciali quodam ornamento: quod apposuit ei alexander hiericus. Ibidem etiam posuit herodes aquilam auream: et erat porta antij viros mundi. Iste claudus quotidie portabat in grabato suo ad portam illam ut peteret elemosinam ab ingredientibus in templum. Et rogabat petrum et iohannem ut elemosinam acciperet ab eis cum ascendissent in templum ad horam orationis nonam. Fuit enim consuetudo hebreorum tribus horis orare. Unde daniel dato ei cetero regi: qualibet de his tribus horis orabat ascendens fenestram cubiculi sui. Et hec consuetudo confirmata est ab ecclesia que etiam horis orat. scilicet tertia, sexta, nona. quia dominus hora tertia flagellatus est. sexta crucem ascendit, nona etiam posuit. Intuentes petrus et iohannes claudus dixerunt. Respice in nos. Ac si diceret. Attende de paupertate nostram: non habemus quod portem